

dulgent pariterque divites, et viri potiusquam mulieres. Ipsa institutio non semel hoc vitium fovit, quod intemperantia alit quam maxime.

b) Indicia apparent in vividis oculis, parva fronte, genis cadentibus, magnis dentibus, crasso ventre.

c) Fructus. — Gustus amissio, ventris morbi, apoplexia, hydropisis et podagra sunt morbi qui eo ex vitio gignuntur. Quare haec iure habet Bernardus: *voluptas gutturis quae tanto hodie aestimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum, et eius tam modicae partis, tam exigua delectatio quantam operatur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit*<sup>1</sup>.

d) Effectus memorat S. Gregorius: *Dum gulae incumbitur ad levitatis protinus insaniam proditur*<sup>2</sup>, et, dominante vitio, per carnis illecebras quod fortiter agitur perditur, et dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctae virtutes obruuntur<sup>3</sup>; *gulosi pro sollicitudine ventris, innumerabilium curarum frequentia deprimuntur*<sup>4</sup>.

e) Eius curatio sunt agrestis vita, vino abstinencia, simplices cibi, parvus victus. — Eorum correptio [quia indecorum maxime vitium est] plerumque haud minus corrigenti, quam peccanti displicet. Nec diu perdurat emendatio, quia edendi cupiditate nisi gulosi domi ei satisfecerint, extra domum gulae servire compelluntur. Multum in rem prodest religiosa institutio, quae temperantiam suadet; verum ne furtim gulosi epulentur, aut gulae, quomodocumque concedant, sedulo advigilandum est.

§ V. — De Confessionis Sacramento iuxta varia personarum temperamenta ac quosdam peculiare earum physicas condiciones, ac malas consuetudines.

SUMMAE RERUM. — 291. Animadversiones praeviae. — 292. Temperamentum nervosum. — 293. Temperamentum biliare. — 294. Temperamentum melancholicum. — 295. Temperamentum sanguineum. — 296. Temperamentum lymphaticum. — 297. Eroticum. — 298. De hystericis. — 299. De nymphomanis.

291. — Classica [ut dicam] temperamentorum partitio a physiologicarum scientiarum cultoribus, etiam nunc temporis adhibita, illa est quae in *nervosum, sanguinem, lymphaticum, biliare, melancholicum* ac *eroticum* dividit, de quibus nobis agendum. — Qua in re temperamenta iam absoluta et adulta considerantes [qualia praesertim

<sup>1</sup> De Conversione, ad Clericos, Cap. 12.

<sup>2</sup> Moral. Lib. X, Cap. 9.

<sup>3</sup> Id. Ibid., Lib. XXIX, Cap. 1.

<sup>4</sup> Id., in I Reg. Lib. V, Cap. 1.

faciliusque in provecioris aetatis personis inveniuntur], eorum etiam indicia in coeteris deprehendere Pastorum erit, cuius perspicacia et a minimis maiora percipere erit.

292. — Temperamentum nervosum passim, aetate hac nostra, adultis atque invenibus commune videmus:

a) Externa specie sunt macro corporis habitu, inquietis motibus, vividis oculis, nigris vel nigrantibus capillis, precoci atque multa barba, etc.

b) Animi sensus sunt: fervidus mentis aestus, corporei laboris impatientiae, mens facilis et apta studiis, inconstans amor et opera, novarum semper rerum desiderium, dilectioni vel odio prona atque prompta studia, corporeis voluptatibus sensus acclines, numquam contentus animus, et pariter obedientiae ineptus et imperio. — Ceterum, animi magnificentia praestant, atque gratissimos plerumque sensus huiusmodi personae reconduunt, et fervida studia foveunt, et [si eas recte gubernaveris] ad insueta virtutis opera aptae fiunt.

c) Quomodo regendum sit. — Cum eis veluti cum aegrotis agere est; inopinatos moerores ab ipsis amovere, vitam quietam laboresque gratos, haud vero nimios [ne cito fatigentur] eis comparare; paulatim vero ad virtutem [eius pulchritudine enarrata] educuntur, ut divinis placitis subesse, et vitae mala fortius pati addiscant. Corpori autem medelam et robur tum gymnici interdum ludi, tum frigida balnea afferent, sed cibi atque potus calidi maxime vitandi.

293. — Temperamentum biliare magnorum virorum est, atque Aiacem, Achillem, Pyrrhum, Hannibalem, Marium, Syllam, Alexandrum, Caesarem, Brutum, Cromwell, Napoleonem tales fuisse historici tradunt.

a) Externa specie sunt pallido plerique vultu, parvo aut mediocri corporis habitu, vividis oculis, densis atque nigris hirtisque capillis, gravi incessu, et, interdum, aspera atque inurbana conversatione.

b) Animi sensus. — Plerumque biliosi irascibiles sunt atque ambitiosi, sed fortes atque constantes, studiis apti, laudi difficiles, sed vituperio faciles, alterius laudis invidia macrescunt, contumaces, ingrati. Sua consilia constanter hi persequuntur, atque nisi assequantur, tristes et taciturni fiunt, et statim nova moliuntur. Cum facti eos poenitet brevis poenitentia est, atque, vix cum licuerit, ad primam operam redeunt; omnes spernunt, seseque super omnes extollunt. Magnas itaque virtutes, vel pessima vitia biliosi exercent.

c) Quomodo cum biliosis agendum sit Antonellus docet: *Quum temperamentum biliare nondum omnes huius constitutionis characteres in animo impresserit, non difficile sperari potest correctum*



*iri si obiectum ad quod fertur mutetur, et efficiatur ut animus aliquod vere nobile aspiret. Studium ambitionem explendi et excellentiam prae coeteris assequendi vertatur ad inquirendam ac sequendam virtutem, quam secum fert, et omnia adhibeantur quae virtutis amorem et sequelam vere inducant: quia, si hoc, quod quidem minime sine magno opere et labore fieri potest, obtineatur, ob firmitatem propositi, ob animi constantiam et mentis excellentes qualitates, possunt biliosi homines etiam cuiuscumque sacrificii, pro veritate et virtutis triumpho, valde capaces evadere. Quod si biliare temperamentum in tota sua natura apparet, et nulla adest spes corrigendi, maxima damna timenda sunt, et Deum precari oportet ut, gratia sua, ad mitiora horum corda convertere dignetur<sup>1</sup>.*

294. — Temperamentum melancholicum. — Huiusmodi pleriqua haeresiarchae fuere, vel tyranni multi, alique qui Rempublicam perturbarunt. Neque id mirum; verborum, nam, facundia atque simulatione doctrinae et alacritate operum, viri huiusmodi multos seducunt captantque.

a) Externa species. — Melancholici procero sed macro, plerumque, corpore, pallido ore, tristi vultu, oculis cavis, nigris capillis sunt, et lente moventur.

b) Animi sensus. — Saepe in conversatione asperi suaeque sententiae contumaces sunt, omnique studio nituntur ut sua consilia assequantur; omnes suspicantur, odium atque invidiam fovent, tristiaque mente revolvunt, moerorem in iram facile commutant, suaeque studia in sermones diuturnos effundunt. Si quis vero ex eis pietatem sectetur, facile scrupulis afficitur, suamque vitam tristitia ita complet ut et sibi et aequalibus grave detrimentum saepe comparet. — Sed et insuetis pariter virtutibus melancholici praediti sunt; nam sobrii atque graves et constantes apparent, vitiaque crassa prorsus abhorrent.

c) Quomodo regendum. — Qui hac indole laborant multa sunt suavitate emendandi, eorumque abigenda tristitia, proposita semper occupatione cui intendant. At illam perscrutari [ut monet S. Theresia] perarduum est, tumque ea saepe innotescit, cum eadem emendari iam nequit. Quidquid sit, ardua semper eorum correctio, neque multa ab eis sperare licet qui vix communia perficiunt.

295. — Temperamentum simpliciter sanguineum prae omnibus felix est:

a) Externa specie. — Sanguinei, incenso ore, procero corpore, fortibus membris, lucidis oculis, flava vel castanea coma, hilari atque amabili ore sunt.

<sup>1</sup> *Medicina pastor.*, Vol. I, Cap. XII.

b) Animi motus. — Ad iram proni, ad veniam quoque faciles sunt, et dum ad studia vehementia feruntur, parum ipsi sibi constant. Alacris, plerumque, eorum mens, aestusque mentis fervidus, memoria tenax, multa et varia ad speculandum et ad agendum promptitudo. Laeta, alacris, verax, generosa, facilis, sed temeraria forte eorum indoles est, ad voluptates et intemperantiam prona, et a mortificatione fere omnino aliena.

c) Quomodo regendum. — Si ab omnibus, maxime vero ab eis qui hac indole vivunt, non omnia quae possint petenda sunt. Suavitate, igitur, regendi, neque sas corporales poenitentias quae sanguinem forte irritent suadendae; sed ferventia nimis eorum studia caute cohibenda sunt, atque temperato victu et potu semper habendi.

296. — Temperamenti lymphatici notae sunt:

a) Externa species. — Pingue corpus apparet, rara barba eaque vel fulva, vel clara nimis, molles carnes, coerulei oculi, tardi motus, parcus somnus, et digestio difficilis.

b) Animi qualitates. — Mens, plerumque, mediocris, memoria fluxa, sensus parum alacres, segnis animus atque ad labores tardus, brevis ira, sed lenitas multa atque misericordia facilis; multum quietis studium, ingenuus animus, nec unquam malignus, nec ad iudicia ferenda asper. Magnas virtutes vel vitia huiusmodi homines non sustinent, sed mediocres passim in omnibus sunt. De eis Antonelli habet: *De se ipsis contenti, nesciunt in aliorum negotiis inopportune commisceri, aliis mala reddere; non communi tranquillitate et quiete praediti, huius mundi angustias et molestias, impassibili animo, pertranseunt<sup>1</sup>.*

c) Quomodo regendum. — Haec indoles [quam nordici populi saepe retinent] ad bonum facile instituitur, sed eorum segnitiam excitare, aptis stimulis, oportet, aptique eis labores et grati addicendi sunt: eorum vero tarditas nimium concitanda non est, sed multa patientia cum eis utendum qui optimi cives fiunt.

297. — Et eroticum temperamentum dignoscere confessariis pernecessarium; quo tantum plura apte diudicabunt. Sed ne in re lubrica immoremur, quaedam tantum recolemus, nimirum:

a) Huius temperamenti externa species est: aspectus lascivus, nimia inferioris labii crassitudo, generalis corporis macies, subtilia membra, nigra ac copiosa barba, et vox gravis ac sonora.

b) Sanguinea, vel sanguinea-biliari constitutione praediti huic temperamento facilius subiacent, quod, quamvis hereditarie transmitti possit, attamen tum ab externis, tum ab internis caussis fovetur,

<sup>1</sup> *Op. cit.* vol. I, n. 342.



quae tum in viris, tum in feminis, gravissima et animae, et corpori detrimenta parat. In primis, enim, satyriasim, in alteris nymphomaniam gignit: in utrisque vero paralytim, epilepsiam, choream, phthysim et tot alia mala, etiam molestissima, ipsum producit.

c) Eius physica curatio in industriis contra luxuriam adhibendis ac alibi indigitatis<sup>1</sup> continetur: moralis vero in religionis cultu, virtutis amore, cuiuscumque occasionis fuga, quae ad hoc temperamentum excitandum conferunt, indigitari potest. Sed horum omnium curatio omnino ardua semper manet, et cum hoc temperamentum invaluerit, adeo innumera ac fere incredibilia tum libidinis, tum sanguinis, infanda patrantur facinora, ut potiusquam homines ratione praediti, peius quam bestiae quidam videantur. Ex his quousque eorum actuum responsabilitas urgenda sit, tum rerum moralium cultores, tum criminalistae acerrime disputant; quae tamen quamvis imminuenda, attamen saltem in radice, haud penitus, auferenda videtur.

298. — Tandem, quamvis hystericum temperamentum scientifice constituere nefas, attamen hanc singularissimam virorum ac, praesertim mulierum condicionem, ab his omnibus qui coeteris praesunt dignoscere omnino pernecessarium, ut quid in praxi dijudicandum decernendumve apte statuatur. Quod praesertim confessarios decet, ne harum malarum artium, et in spiritualibus, miserrima praeda fiant. Quapropter:

a) Hysteresis causas in aetate [a 15 ad 25 ann. facilius ac gravius], in molli inertique vivendi genere, in inepta institutione ac romanticorum lectione, in hereditarietate, in quibusdam physicis condicionibus [de quibus dicere salebrosus nimis], in vitae illusionibus disillusionibusque [ut sunt matrimonia non, vel male inita, fortunae familiaris amissio, parentum vel filiorum mors etc.], in subito terrore vel pavore, et similibus continentur<sup>2</sup>.

b) Hysteresis indicia ac symptomata complurima habentur, quae, ut plurimum, in omnibus corporis partibus ac sensibus excessiva sensibilitate, vel in quibusdam omnimoda insensibilitate compendiari possunt. Hinc:

I — Intercostali nevralgia, lumborum, capitis ac coxarum doloribus hystericæ laborant; in complurimis pellis partibus loca quorum tactus dolorem excitant habent; auditum ac loquela meti am periodice amittunt, et a longe quoque tenuissimos odores animadvertunt, ex quibus tamen foetentes tantum adamant usque delectantur.

<sup>1</sup> Cfr. indic. alphabetic. *Luxuria*.

<sup>2</sup> Cfr. Conca, *Isterismo ed ipnotismo*. Napoli, 1888.

II — Hystericarum respiratio gravissimas perturbaciones patitur, inter quas astma hystericum, tussis vehemens canis latratum simulans, raucedo, aphonia seu absentia vocis, singultus, spasmodici glottidis dolores et similia habentur.

III — Sanguinis circulatio peculiaris exhibet; frequenter, enim, fit ut hinc inde in corpore variae maculae rubrae, plus minusve latae et diffusae, videantur, et quaedam membra vel corporis partes magis calidae vel frigidae sint. Sudor, vero, in nonnullis partibus abundans, in coeteris autem omnino abest.

IV — Hystericis paralytibus quae volitivae dicuntur [ob quas infirmi voluntas agendi in partibus paralyti affectis haud amplius habetur] hae subiacent, quo fit ut, ex. gr., nec ambulare, neque loqui nisi submisce valeant. Musculorum paralysis tum paulatim, tum cito exoritur, quae post brevius vel longius tempus [etiam post annos] paulatim vel illico adeo evanescit, ut perfectos membrorum motus statim sortiantur: quae omnia et gravis, quamvis omnino imaginaria tantum, commotio animi gignere potest.

V — Et epileptica, cataleptica et illa quae in a demone obsessis notantur symptomata [quibus in spectatores ac adstantes terrorem erroremque inducunt] in hystericis habentur. Tunc in morbi paroxysmis, infirmae istae caput ac extremitates, automatis ad instar, movent; torvis aspiciunt oculis, usque ad dentium stridorem maxillas compriment, linguam volutant incondite incompositeque vociferantur, voraciter assidueque devorant, festinanter respirant; eadem, ac saepe conditioni, educationi ac personis parum vel nil convenientia verba indesinenter repetunt; diversissimos vocis sonitus [quibus canis latratum, felis lamentationes, gallinae gradationem, boum mugitum et luporum ulutatum imitantur] ipsae emittunt. Pelvim insuper extollunt, caput retro inclinant, manibus pedibusque inordinate pulsant, extremitates extendunt ac porrigunt, et, interdum, vertebralem columnam curvant, et cataleptiformem totius corporis rigorem ostendunt<sup>1</sup>.

VI — Incredibili fere phantasia hae adeo laborant, ut huic omnimodo inserviando, simulata crimina patefaciendo, innumeras scissuras in familiis, ac dissidiorum calumniarumque causa ipsae fiant.

VII — Duplicitate ac mendacio<sup>2</sup> adeo hystericæ utuntur ut ad fallendum, non dolores, non labores, neque cuiuscumque generis

<sup>1</sup> Cfr. Hasse, *Krankheiten der Nerven-systems*, in Capellmann, *Op. cit.*, pag. 58.

<sup>2</sup> Cfr. Falret, *Ann. medic. psych.* 1886, pag. 407; Dagonet, *Traité des maladies mentales*, Paris 1894, pag. 487.



molestias ferre recusent. Hac vero decipiendi cupiditate in pietate praesertim utuntur, quo imaginarias visiones, extases ac simulata miracula patrare se simulant. Ut coeterorum compassionem in se excitent, nullo uti cibo, nulli corporis necessitati inservire, sanguinem, vermes vel varia obiecta vomere, sanguinis sudores pati<sup>1</sup>, plures per menses et annos lecto degere et complurima similia, audacter callidissimeque dictitant simulantve.

VIII — Vitio quam maxime indulgentes ac dignitatem, pudorem et familiam nullo modo curantes, incredibilibus spurcitiis, interdum, se dant, ac nefandiora crimina simulantes<sup>2</sup>, cum viris illustris Titio ac Caio commercium habere, plurimos peperisse filios, earum honestati complurimos attentasse et similia, nullo negotio, profitentur.

IX — Quae mendaces sunt, et fures haud esse desinunt<sup>3</sup>, quo fit ut cleptomani inserviando, quae eorum attentionem praesertim excitant, ac peculiari modo pannos sericos et alia huiusmodi, in publicis officinis [*magazzini, magasins Warenhäuser*] nullo negotio rapiant, versutissimeque abant.

X — Paranoia [quae erotica vel religiosa esse potest] in hystericis personis saepe habetur<sup>4</sup>, qua obnoxiae, infanda crimina [quae recolare nostri non est] perpetrant. Sed tunc praesertim cum his maxima cautela a confessario adhibenda est, quum in eum praesertim hae ferantur.

XI — Tandem hystericarum characteres morales sunt: maxima inconstantia, sensibilitas magna, ac lunaticitas. Magna in illis observatur facilitas gaudii et tristitiae ac omnes affectionis gradus; pavor, enim, odium, amor ac quaedam anxietates res communes in ipsis sunt. Parva voluntate ac vi praeditae, pro opportunitate, callidae pertinacesque se ostendunt; aliorum amabilitatem, si velint, facile obtinent; sagaces sunt fere semper, raro stupiditate aut pauca intelligentia laborant. Uno verbo, generatim dici potest hystericas ordinario esse malas, et tantum per accidens esse bonas.

c) Quae ratio cum hystericis a confessario servanda sit, res ipsa demonstrat. Earum curatio [si haberi potest] nullo modo ad eum pertinet, sed ut eas dignoscat, ne nimis earum phantasticis ac saepe prolixis se fidat sermonibus, si non tantum inutiliter, sed et pe-

<sup>1</sup> Cfr. Max Simon, *Les maladies de l'esprit*, Paris 1891, pag. 90.

<sup>2</sup> Cfr. Krafft-Ebing, *Le psicopatie sessuali*, Torino 1889, pag. 140 et seq.

<sup>3</sup> Cfr. Dagonet, *Traité des maladies mentales*, Paris 1894, pag. 270.

<sup>4</sup> Cfr. Krafft-Ebing, *Op. cit.*, pag. 141 et seq.

riculose tempus terere intendit, suadendum quam maxime. — Si quae vero peculiare visionum, extasum et similibus gratias haberi dicitent, eo magis oculos auresque pandat. — In hystericarum vero diudicanda responsabilitate earum aetatis, status, condicionis circumstantias, ac infirmitatis gradum sedulo perpendat, ne quae aegritudinis sunt, voluntati tribuat<sup>1</sup>.

d) Haec omnia generali ratione prolata sunt; nam, prout certissime, neque nostris diebus manus Dei breviata est, fieri quippe potest [et revera haud raro fit] ut sub speciebus quae suspectae putantur, vera Divini illius Spiritus operatio, qui prouti vult spirat, et nescis quo vadat et quo agat<sup>2</sup>, tegatur. Ne, igitur, foedissimae deceptioni se obnoxium faciat, confessarius omnia diligentissima rimet scrutetque prudentia ac principia discretionis spirituum prout a mysticae Theologiae primoribus Magistris traduntur, sedulo ad casum trahere nitatur. Neque aliorum prudentissimorum consilium despiciat; immo etiam periti cuiusdam medici, christiana religione solidaque scientia conspicui, ad rem sententiam sciscitetur. Quo fiet ut neque turpissime ac cum scandalo, divinas margaritas cum siliquis, quibus immundi spiritus delectantur, confundat, neque vero versutis Satanae fallaciis succumbat, qui sese in angelum lucis transfigurare<sup>3</sup> summopere praeadamat.

299. — Tandem, conclusionis instar, et de morphynomanis pauca recolenda supersunt. Quae, enim, prima fronte, ex morphyna adiumenta capesseri possunt, procedente tempore, gravissima ex eius abusu detrimenta patiuntur, de quibus physiologicarum rerum cultorum dicere est. Et horum curationem omnino difficilem esse pro certo confessarius habeat, qui cum hos viderit, a tanto flagitio deterrere contendat, et, si res postulet, ut in quodam pro morphynomanis hospicio se recipiant hortetur. Quousque, enim, hi sua gaudent libertate, ut pravum habitum servent firmentque, innumerabiles astutias ac praetextus inveniunt, quibus, nullo negotio, sibi graves, coeteris importabiles, societati vero universae saltem inutiles, complurimis ac gravissimis onusti infirmitatibus, ad alienatorum domos primum, ac mox ad extremum exitum irreparabiliter festinant<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Cfr. Antonelli, *Medicina Pastoralis*, I, n. 450.

<sup>2</sup> Ioann. XII, 35.

<sup>3</sup> II Corinth. II, 14.

<sup>4</sup> Cfr. Antonelli, *Op. cit.*, n. 354 et seq.;

Levinstein, *Die Muorphiumsucht*, Berlin 1877; Capellmann, *Op. cit.*, pag. 34 et seq.; Erlenmeyer, *Abusus narcoticorum*, Bendorf-am-Rhein 1876; Chambard, *I Morfinomani*, Torino 1894.



## § VI. — De Confessionis Sacramento iuxta varium personarum statum ac ordinem.

SUMMAE RERUM. — 300. De matrimonio ligatis. — 301. De caelibibus. — 302. De pauperibus ac divitibus. — 303. De dominis atque servis. — 304. De superioribus atque inferioribus.

300. — Praecipui civilis societatis vivendi modi duo sunt, aut coniugatos vivit quis, aut caelebs. — Idcirco: *monendi... sunt coniugiis obligati ut cum vicissim quae sunt alterius cogitant, sic eorum quippe placere studeat coniugi, ut non displiceat Conditori: sic ac huius mundi sunt agant, ut tamen appetere quae Dei sunt non omittant: sic quae bonis praesentibus gaudeant, ut tamen, sollicita intentione, mala aeterna pertimescant: sic de malis temporalibus lugeant, ut tamen, consolatione integra, spem in bonis praesentibus non fiant... Uxorem quasi non habendo habeat qui transitoria esse cuncta conspiciens, curam carnis ex necessitate tolerat, sed aeterna gaudia spiritus ex desiderio expectat... Admonendi sunt coniuges ut ea in quibus sibi aliquando displicent, et patientes invicem tolerant ut exhortantes invicem salvent... Admonendi quoque sunt ut eorum quisque non tam quae ab altero tolerat, quam quae ab ipso tolerantur, attendat<sup>1</sup>. — Rationabili absque causa, de coniugali debito mentionem confessarius non faciat<sup>2</sup>, et quum necessitas cogat, an sibi fidem obedientiamque in omnibus licitis et castis rebus praestiterint, generatim ac decentissime ipse quaerat. — Si vero [ut nostris praesertim temporibus saepe nimis habetur] de illicito matrimonii usu ageretur, ut huiusmodi in adiuncto omnia tentet media quibus vir a tanto nefando crimine retrahi quaeat, mulierem admoneat. Quae si, post debitas admonitiones, nihil profecerit, non cessando prudenter commonere maritum ut ab hac turpitudine desistat, Onan peccatum simpliciter permittat, absque culpa erit<sup>3</sup>. Corona filiorum laetitia parentum, quibus Dei caritas numquam deficere consuevit!*

301. — *Qui ligati coniugiis non sunt, ut praeceptis coelestibus eo rectius serviant quo eos ad curas mundi nequaquam iugum copulae carnalis inclinat, ut quos eos ad curas mundi nequaquam iugum copulae carnalis in-*

<sup>1</sup> S. Gregorius Magnus, *Reg. Pastoralis*, Part. 3, cap. 77.

<sup>2</sup> S. Poenit, 8 juin. 1842.

<sup>3</sup> S. Poenit. 20 mart. 1851, 14 sept. 1674 et 10 mart. 1886. — Cfr. etiam Mercier, *Les fraudes conjugales*,

*clinat, ut quos onus licitum coniugii non gravat, nequaquam pondus illicitum terrenae sollicitudinis premat, sed tanto eos paratiores dies ultimus, quanto et expeditiores inveniat, ne quo meliora agere vacantes possunt sed tamen negligunt, eo supplicia deteriora mereantur... Admonendi sunt caelebs ne sine damnationis iudicio miscere se feminis vacantibus putent... Admonendi itaque sunt, ut si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, coniugii portum petant<sup>1</sup>. — Caelibem vivere dignius est quam uxorem ducere, sed adeo perarduum ut matrimonio iungi plerumque melius sit. Non, enim, ita caelibem vivendum prout vulgo effertur, caelibem [passim] quemquam vivere ut latior licentia vitio praebeatur; unde solent innocentiae simul atque coniugiis per caelibes insidiae parari maximae, ita ut iure illud effatum tradatur, *qui uxorem non habet, uxorem alit*, atque cum Jeremia queri possimus: *unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat<sup>2</sup>*. Antequam, igitur, ad caelibatum quisquam adducatur, diligenter praevidendum est quid valeant humeri eius ac, plerumque, aut ad sacerdotium vel ad religiosam vitam, aut ad matrimonium ineundum illum deducere expedit.*

302. — De pauperibus et divitibus. — *Aliter admonendi sunt divites, atque aliter locupletes: illis namque afferre consolationis solatium contra tribulationem, istis vero inferre metum contra elationem debemus<sup>3</sup>*. Saepius, enim, superbia simul et auctoritas cumulantur; quamvis, nostra quoque aetate, apud egenos superbia floret egestatemque auget. At nihil magis misericordiam adimit quam egeni superbia qui non charitatis, sed iuris vi postulat opem. Idcirco, quia *plerumque personarum ordinem permutat qualitas morum, ut sit dives humilis, sit pauper elatus<sup>4</sup>*, adeo *praedicantis lingua cum audientis debet vita componi, ut tanto districtius in paupere elationem feriat, quanto eam nec illata paupertas inclinat, et tanto lenius humilitatem divitum mulceat, quanto eos nec abundantia quae sublevat exaltat<sup>5</sup>*.

303. — De dominis atque servis. — *Servi admonendi sunt ut in se semper humilitatem conditionis aspiciant: domini vero ut naturae suae, qui aequaliter sunt cum servis conditi, memoriam non amittant. Servi admonendi sunt ne dominos despiciant, ne Deum offendant, si ordinationi illius superbiendo contradicunt: domini quoque admonendi sunt, quia contra Deum de munere eius superbiunt si eos quos per conditionem tenent subditos, aequales sibi per naturae consortium non agno-*

<sup>1</sup> S. Gregorius Magnus, *loc. cit.*, Part. III cap. 27.

<sup>2</sup> V. 8.

<sup>3</sup> S. Gregorius Magnus, *ibid.* Cap. 2.

<sup>4</sup> Id. *ibid.*

<sup>5</sup> Id. *ibid.*